



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 33. in contemptores anathematum Ecclesiasticorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

tus sic gestatur, ut nasum inter genua, oculos super genua, aures extra genua habeat, quasi eo gestu ex naturæ instinctu auram vitalem ab authore naturæ exoraret, Abrumpo dictionem, & ab oratorum moratissimo Augustino breviculam illam reverentiâ quàm

maximâ creberrimè repeti oro hortorque orationem: Deus universitatis conditor, presta mihi primum, ut bene te rogem, deinde ut me agam dignum, quem liberes, postremò ut liberes Amen.

S. August. in folio. quijs.

* * *
* * *



PHILIPPICA XXIII.

In Contemptores Anathematum Ecclesiasticorum.
DOMINICA VI. POST PASCHA.

Absque Synagogis facient vos. Ioan. 16. v. 2.

§. 1.
Quid sit
excommu-
nicari.



um neque tabernaculum Domini, neque templum Soly-mæum judæos omnes capere possent, synagogas extruere in singulis suis oppidis ceperunt jam inde à judicium temporibus, paulò post ingressum Hebræorum in terram Chanaam, & Soly-mis quidem in devastatione urbis numerabantur Synagogarum 480. extra quas relegari ac proscribi idem erat, quod anathema fieri, & publicanis ethnicisque adnumerari. Ejectionem hanc Christo adhuc superstite intentare perfidi judæi ausi sunt omnibus IESU affeclis, teste Ioanne in historia cæci nati, Celidonij dicti, c. 9. v. 22. *jam enim conspiraverant judæi ut si qui eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* & v. 34. *Ejecerunt eum foras.* sed invenit eum Dominus templi, ait Chrysofomus, ideòque dixit: *ego sum ostium.* Parum est à Synagoga proscribi, quæ & ipsa jam proscripta æternòque anathemate est fulminata; horrendissimum autem est extra Sanctorum communionem

fieri atque ab Ecclesia Catholica condemnari, rejici, anathematizari. Quos anathematis cum à nonnullis flocci fieri non ex vano suspicer, insensatam hanc malitiam præsentis dictione perstringam.

Excommunicandi potestatem Apostolis à Christo tradita describit Matthæus c. 18. v. 18. ubi cum Dominus dixisset: *quodsi Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus.* hoc est separetur & excommunicetur ab Ecclesia, sicut putre membrum à corpore absconditur, sicut putre pomum à cumulo abjicitur, sicut scabiosa ovis à grege separatur; mox subjungit: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligatae in cælis,* quibus verbis Chrysofomus, Hilarius, Augustinus potestatem excommunicandi intelligunt, quæ innodati non sunt divinatorum mysteriorum consortes, neque indulgentiarum capaces, nec precum & benedictionum participes, quæ pro fidelibus in orbe utroque, horis & momentis omnibus jugiter offeruntur. Quod si eodem alligati anathemate ex hac vita discedant, sepulturæ honore spoliati, sepulturâ a fini ex æquo sepe-

§. 2.
Excommu-
nicandi li-
potesta-
tem habet

peliantur, & suffragijs omnibus militantis Ecclesiae privantur.

§. 3.

Excommunicationis prototypon fuit Ficulnea arefacta, ectypon Judas suspensus.

Baëz. l. 11. Christ. figur. c. 8. §. 6.

Excommunicationis typum exhibuit Salvator in ficulnea arefacta, quam ob foliorum abundantiam, fructuum verò penuriam anathemate percussit: *nunquam ex te fructus nascatur, & arefacta est continuo ficulnea.* Matth. 21. v. 19. quis videat Dei flagellum, inquit Doctissimus Baëza, ad insensibiles creaturas pervenisse, & non vereatur? arbor infertifera maledictionis flagello vapulat, & homo audet sterilis perdurare? arbor anathematis vim atque efficaciam persentiscit, & homo non sentiat, non paveat, caveatque? ab arborum excidio homines erudit Ioannes Baptista, cum dicit: *securis ad radicem posita est, omnis arbor non faciens fructum eradicabitur*, quasi efficacissimum ad immutandas hominum mentes remedium sit, stragem arborum intueri. Similiter & Salvator in ficulneae excidio, deterere homines voluit ab anathematum contemptu, quorum efficaciam omnem divinarum gratiarum, humanorumque suffragiorum succum & vigorem perdituri essent, nec nisi inutiles trunci solisque gehennae ignibus apti futuri, exemplo arborum concipit (inquit de Ioanne & Iesu Chrysologus ferm. 137. *ut jam non mores solum, sed ipsam naturam possit venenosi germinis immutare.* immutet utinam perversissimam multorum naturam hæc ficulneae illata strages atque excidium. Si quæras cur ficulnea potius quam alia arbor anathemate sit percussa, respondebit Theodoretus, Isidorus Pelusiota & Gennadius in Cat. Lippomani, quia ficus scandalo fuit primis parentibus, ex qua fructum vetitum comederunt, atque de folijs ejusdem perizomata sibi fecerunt, ut videre est Gen. 3. v. 7.

nimirum scandalosi excommunicationis periculo proximi sunt. Alij autem ideo ficulneam maledictione fulminatam, quia prævidit sapientissimus Magister ex eadem arbore intra quintiduum Judam longam fore litteram. ex hac enim arbore crepuisse proditorem canit juvenecus & consentit veneranda antiquitas:

Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœnas.

Informem rapuit ficus de vertice mortem.

O par nobile ficulneam & Judam, quorum hic excommunicatorum vivum ectypon, illa prototypon. Anathemate Judam ferire visus est Iesus, cum canaculo grandi strato exesse iussit, & ab Apostolorum cætu segregavit: *quod facis fac citius.* & quid fecit separatus à Iesu & Apostolis proditor? seipsum sui fecit carnificem, aridumque inficulnea fructum. acutè de Juda, Augustinus hom. 27. ex 50. *quod in corpore suo fecit: hoc factum est in anima ipsius. Quomodo qui sibi colulum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aëris hujus sic illi (qui anathematis reatum incurrun.) intus se suffocant, ut eos Spiritus Sanctus visitare non possit.* Perijt judas inter cælum & terram, quia proditorem, ut Bernardus loquitur ser. 8. in ps. 90. nec cælum recipere, nec terra sustinere volebat, ita cælum inter terramque pendens, quotquot censurâ Ecclesiasticâ suspensus, vel à fidelium cætu segregati sunt, nec cælo digni nec terrâ. At redeamus ad ficulneam.

Similem potestatem, qualem exercuit in ficulneam IESUS, exercuit S. Wolstanus in Nucem, quam, cum Elsius Comes in Anglia excindi de cæmeterio nollet, excommunicavit eam Episcopus, quæ radicitus momento exaruit teste Surio 15. Januarij.

Sera-

Ioann. 11. v. 27.

§. 4. Vim excommunicationis senserunt arbores, multo autem magis homines.

Seraphicus Patriarcha Franciscus Caleni in Campania Iunipero maledixit, quòd Frater Iuniperus plantandæ arbori intentus morulas in obediendo fecisset, & continuo exaruit.

Ludovicus Granatensis proceram populum Vallisoleti prope S. Magdalenæ ædem vidit, in quam latro argenteum vas fortè deposuerat, ignarus autem loci Curio apud quem delitesceret furtum, excommunicationis sententiam in illum tulit, quicumque vas argenteum haberet; & ecce populus arefcere ex templo cæpit, in qua cum aliquando argentea supellex reperta & exempta fuisset, vigori demum suo infelix arbor est restituta. En ut arbores anathematum rigorem persentiant & homo, qui arbor inversa dicitur, vilipendat atque irrideat? sentiet aliquando, sentiet, quantum sibi metipsum author malorum extiterit, cum anathematum fulmina contempserit; quemadmodum senserunt Philippus Rex Galliæ, Leopoldus Dux Austriæ, Henricus Romanorum Imperator, quorum utinam saperemus damno, & erudiremur exemplo.

Philippus pulcher Rex Galliæ ob spretam excommunicationem ab apro discerptus est, ex tribus filijs hæres nullus progenitus, quin & uxores eorum omnes adulterij suspectæ & duæ convictæ sunt, quem familiæ serenissimæ cum infamia interitum in contempti anathematis supplicium sapientes omnes retulerunt.

Leopoldus Dux Austriæ anno 1194. ob Richardum Regem Angliæ captum excommunicatus à Cælestino III. cum contemneret excommunicationem, varijs flagellis attritus est: civitates enim omnes succensæ & incineratæ sunt auctore incendij nusquam reperto; deinde

ex inundatione Danubij decem milia hominum submersa periére. Præterea fruges omnes in vermes conversæ cladem incredibilem intulerunt. Denique Nobiles plerique extincti supremum mortalibus documentum dederunt: discere iustitiam, & non contemnere divos.

Henricus IV. Imperator ob persecutionem duobus Romanis Pontificibus illatam excommunicatus, à proprio filio imperij honoribus spoliatus, ante Ecclesiam B. V. à se ædificatam Spiræ mendicare coactus, famâ, nuditate, & ærumnis omnibus confectus animam egit, nec nisi quinto post anno humatus est.

O quàm bene scripsit Theodoretus in c. I. *Timoth. ab ecclesiastico corpore separati, & divinâ gratiâ nudati ab adversario crudeliter flagellantur incidentes in morbos & difficiles afflictiones & alias calamitates.* Quod de Israëlítico populo dictum est, & de excommunicato repeto: *non poterit Israël stare ante hostes suos eosque fugiet, quia pollutus est anathemate* Ios. 7. v. 12.

Quid? quòd defuncti virtutem excommunicationis reveriti mortales suo instruant exemplo, quanto sacra anathemata metu & honore sint prosequenda. S. Gothardus Hildesheimensis Episcopus contumaces quosdam subditos, frustra sæpius monitos anathemate ferit & tremendi sacrificij tempore exesse Ecclesiâ iussit; resistebant illi impudenter, & pedem movere loco detrectabant, cum ecce pridem sepulti, & anathemate nondum absoluti surgunt de tumulo, tumbam arripiunt, templo egrediuntur, quos refractarij illi pudore suffusi & gravius aliquid metuentes subsequuntur. hic Præsul acri philippicâ contumaces perstrinxit, quibus mortui essent

S. S.
Vis eadem
in defun-
ctos dima-
nat.
Matth. Ra-
der. in Vi-
ridar.

Z

effent obsequentiores; mortuos porrò censurâ absolvit, qui cervicibus Gothardo inclinatis ad suum quisque tumulum rediêre. Viris fœminas jungamus. D. Benedictus teste Magno Gregorio l. 2. Dialog. c. 23. garrulas quasdam feminas silere jussit inquiring: *corrigite linguam vestram, alioquin excommunico vos*: illæ nihilo meliores factæ paucos intra dies fatis concessêre in ædibus sacris sepultæ. Verùm quoties deinceps tempore sacrificij Diaconus pro veteri instituto solenne illud verbum proferebat: *si quis non communicat, det locum*: surgere de sepulchris, & exire templo visæ sūt, donec misericordiâ motus Benedictus anathemate easdem exolvisset, ut in pace & communionem sanctorum cubare liceret. Discant à mortuis vivi excommunicationes non contemnere, nè brevi inter mortuos sentiant, quàm durum sit à morte, insensatum fuisse in vita.

Discipulis ad prædicationem à Christo missis hoc præceptum Salvator dedit, ut si non reciperentur, desererent urbem: *excute pulverem de pedibus*: cur pulvis excutitur? tres causas accipio ex D. Hieronymo, Augustino q. 7. in Matth. & Ambrosio in c. 9. Luc. ut indicetur homines ejusmodi esse impios descriptos in ps. *tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ*. deinde ut nihil sit, quod misericordiam Divinam interpellat pro illa civitate, si enim vel pulvis adhæreret, adhuc gratiam invenirent, nec enim haustus frigida tantum, sed & pulvis terræ Apostolo datus proficit datori; sed excute pulverem quasi impium, ut constet eos esse anathema, nec vos quidquam cum execratis illis habere commune.

Excommunicationis potestas gladius ille est, quem Christus, qui

gladium venit mittere, commisit Petro, quo usus etiam Paulus est 1. Cor. 5. *judicari tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis*, dicuntur Sathanæ tradi; quia extra societatem Christi & communionem Ecclesiæ patent dæmonum incurfibus, nec rarò in corpore possidentur, & excarnificantur à dæmone. Narrat in vita S. Ambrosij Paulinus, quòd cum sanctissimus hic præful sceleratum aliquem diris Ecclesiasticis devovisset, eodem momento dæmon discerpere improbum cæperit. quæ fortè causa movit Theodosium Imperatorem, ut propter eandem Theffalonicensium excommunicatus supplicibus votis & lachrymis ab Ambrosio petierit absolutionem.

Ubi hodie pœnitentes Theodosios reperiam, qui vulnus excommunicationis morte ipsâ gravius ducunt. Theodosius enim ob eandem Theffalonicæ factam ecclesiâ prohibitus pronus corruit & pavimentum lachrymis rigans consolatorem suum Ruffinum in hæc verba, quæ Theodoretus refert, est affatus: *ô Ruffine tu mea mala non sentis, ego lamentor, & gemo calamitatem meam: quia servis quidem & mendicantibus aperta sunt templa Dei & proprium Dominum ingredienti licite exorant: mihi vero ingressus ad ea non est; insuper etiam cœli mihi sunt clausi*. quæ cum diceret, verba singula singultibus interpolabat, nec quietem nancisci poterat, dum anathemate per Ambrosium solveretur.

Ut verò constet, quinam è Catholicis excommunicationem ipso, ut ajunt, facto incurrant, brevem eorundem syllabum adnecto. Anathema sunt quotquot magos vel divinatores adeunt, & in primum Decalogi præceptum graviter offendunt, repetitur ter excommunica-

§. 6.
Cur Apostoli pulverem excutere jussit.
Matth. 10.
v. 14.
Marc. 6.
v. 15.
Luc. 9. v. 5.

Theodoretus hist. trip. l. 9. c. 20.

§. 7.
Quinam ipso facto excommunicationem incurrant.

tio

tio in Jure Canonico c. 2. q. 8. C. testimonium de testibus. c. si quis à nobis 26. q. 5. ut nullatenus dubitari possit verè excommunicatos, quicumque dæmonem invocant, eumque sibi constituunt in Deum. *anima quæ declina-verit ad magos vel ariolos, ponam faciem meam contra eam & interficiam illam de medio sui* Lev. 20. v. 6. In Bulla quam Cœnæ vocamus vicena excommunicatorum genere recensentur, in quibus sunt lectores librorum hæreticorum, percussores Clericorum, spoliatores Ecclesiarum, usurpatores jurisdictionis Ecclesiasticæ vel fructuum Ecclesiæ, judices sæculares qui Ecclesiasticam tollunt vel turbant libertatem &c. specialiter autem complurium Pontificum & sacrorum Conciliorum decretis acerbissimum anathema incurrunt, qui rancores suos duellodirunt, contra quos jam anno 855. Concilium Valentinū pronuntiavit: *Statuimus juxta antiquum Ecclesiasticæ observationis morem, ut quicumque tam iniquâ & Christianæ paci inimicâ pugnam alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequissimus & latro cruentus ab Ecclesia & omnium fidelium cætu separatus ad agendam pœnitentiam modis omnibus compellatur. Ille verò qui occisus fuerit tanquam sui homicida, & propriæ mortis spontaneus appetitor à Dominicæ oblationis commemoratione alienus, nec cada-ver ejus juxta sanctorum Canonum decretum, cum Psalmis vel orationibus ad sepulturam deducatur. Super quibus duobus titulis propter funesta & horrenda animarum, vel etiam corporum exitia Christianissimi Imperatoris pietas sacerdotali omnium nostrum supplicatione imploranda est, ut tantum malum à populo fidelium suis publicis sanctionibus amoveat, &c.* Apertissimè verò Concilium Tri-

dentinum id prohibet in hæc verba: *Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur.* &c. Denique laudatissimus Pontifex Gregorius decimus tertius ad omnes Christianos etiam privatos voluit hanc prohibitionem pertinere, per bullam anno 1550. editam nono Decembris, quæ sic incipit, *ad tollendam detestabilem.* Non est in duellis generositas Martia, sed stolidi temeritas, non fortitudo heroë Christiano digna, sed furia ab homicidarum principe Diabolo excitata, certissimâque mentis infirmitas & defectio virtutis; non est digna plausu gloria, sed plena probri macula, & posteritatis infamia; non est zelus justitiæ, sed furiosæ indubitatum argumētum stultitiæ. non est honor Regis aut Cæsaris, sed divinæ humanæque læsæ crimen Majestatis, homicidæ nequissimi & latrones cruenti sunt omnes duellatores, quorum corpora sepulturâ asini sepeliri in terris Christus Judex per Ecclesiam suam imperat, animæ verò in profundissimo gehennæ barathro absque omni controversia sepeliuntur. Vos ego! sed motos præstat compore motus.

Caveat unusquisque non modo anathematis incurrere reatum, sed nullatenus ijs confvescere qui censuræ innodati sunt, nè canibus, & ciconiis deteriores simus, canes enim ab excommunicato hero panem non acceptasse testatur Petrus Dam. epist. 2. ad Hildebrandum Papam; ciconias verò ab excommunicatorum domibus nidos suos aliò transtulisse in vita Gregorij Romani Pontificis narratur. Excommunicato communicare, excommunicari est, sicut periculum amore

S. 8.
Timendum anathema.

amare perire, aut picem attingere inquinari. Multo maxime autem excommunicationis fulmen quilibet cordatus expavescat, nunquam non memor verendae illius senten-

tiae quam Augustinus scripsit: *excommunicatio animae supplicium. Pave & cave ne fias anathema.*

S. August. ep. 75. ad Auxent. Deuter. 7. v. 26.

* * *

PHILIPPICA XXXIV.

In scandalosos.

DOMINICA EADEM POST PASCHA.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.

Ioan. 16. v. 1.

§. 1.
Scandalum omnimodè cavet Deus, Deipara, Angeli,



I tantam cælestis Magister discipulorum suorum curam gessit, ut scandalum non paterentur, quantam pro iisdem susceperit sollicitudinem, nè scandalum darent, cum hoc præ illo tantò sit deformius, quantò enormius censeatur injuriam, mortem, aut quodvis damnum inferre, quàm illud fortiter ferendo superare. Certè nulli humanæ calamitati toties vae Salvator dixit, quoties a activo scandalo: *væ mundo à scandalis, vae homini per quem scandalum venit* Matth. 18. v. 7. *væ autem vobis scribae & Pharisei.* Matth. 23. v. 13. 14. 15. 16. 23. 25. 27. 29. octies repetitum vae, quia execrandi octies sunt, qui voluntario alijs fiunt offendiculo. Percurre universam Christi & Deiparæ vitam, & comperies unum utriusque semper studium fuisse, ut neminem scandalizarent. Cur desponsatur, Virgo castitatis voto illigata? cur de conjugata nascitur Christus? nè in hujus natalibus scandalizari Judæa prudenter posset. cur circumciditur Divinus Infans? purificatur Virgo puerpera? ut cujuscunque amoveant scandali periculum. Cur

didrachma Cæsari solvit Iesus? cur Iesum quinque siclis seu centum obolis juxta legem Mariæ redimit? ut omnem impleant justitiam, omne scandalum evacuent. Imitantur Filius & Mater Patrem cælestem, qui justitiæ suæ vim quodam modo intulit & rebelles hebræos peste ac gladio penitus non cōsumpsit, nè forte superbirent hostes eorum & dicerent: *manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. 32. v. 27. Sic & cælestis aulæ Principes Angeli nihil non agunt, ut scandala tollant; idcirco enim in manibus nos suis portant nè forte offendamus ad offensionis lapidem & scandali petram. Quàm ergo de genio Patris Cœlestis & Filij ejus, Deiparæ quoque & Angelorum habent nihil, qui adversus filios Matris suæ ponunt scandalum, omnèque gaudium & lucrum suum existimant, cum scandalizaverint plurimos. Contra quos nescio quid dicam & quomodo, ut dicam sine scandalo.

Væ mundo à scandalis, si cælum propter unicum unius Luciferi scandalum evacuatum est, quid mundo fiet, ubi plena scandalis sunt omnia, tantæque hominum est malitia, ut necesse sit venire scandala, sicut

Lev. 27. v. 6.

§. 2.
Scandalosis multiplex vae dicitur.